HAN

Jahres-Bericht

über die

Steinbart'schen Erziehungs- und Unterrichts-Anstalten,

Waisenhaus und Königl. Pädagogium

bei

Züllichau,

herausgegeben

am Schlusse des Schuljahres von Ostern 1865 bis Ostern 1866.

I. COMMENTARIOLVM HORATIANVM. II. Schulnachrichten.

Beides vom Director Prof. Dr. Rudolf Hanow.

Druck von J. A. Lange's Wwe. in Züllichau.

1866.

COMMENTARIOLVM HORATIANVM

SCRIPSIT

RVDOLFVS HANOVIVS.

Leuis sane res est, de qua paucis commentari aggredior, nec uero magistris, quibus Horatii in scholis interpretandi prouincia obuenit, non molesta taediique plena. Ex quo enim Aug. Meinekius, quem honoris caussa nomino, Horatium Flaccum ita adornatum edidit, ut in Carminum libris quattuor carmen esset nullum, quod non quaternorum uersuum complexibus contineretur: qui post eum poetam Venusinum ediderunt, in bina discesserunt quasi hostilia castra, ut illud Meinekianum inuentum aut magnis laudibus efferrent suisque libris adhiberent, aut aspernarentur et argumentando conarentur refellere. Quod nonnulla carmina ad illam artis speciem reuocari nequiuerunt, nisi resectis paucis uersibus, id quidem tanti non uidetur esse, quoniam et paucissima eius modi sunt carmina et ab aliena manu satis multos uersus in Horatii carmina esse inuectos uix reperiuntur qui non confiteantur concedantque quamuis inuiti. Ne illud quidem uidetur magnum esse, quod Meinekius et qui eum secuti sunt ab epodis manus abstinuerunt et in epodon libro monostropha et distropha carmina poetae reliquerunt: quis enim non laudet eum poetam, qui ab exiguis profectus initiis ad maiora perfectioraque transierit? Nimirum Horatius, natura factus poeta, si non Pindarico spiritu afflatus, at poeta tamen, at homo elegantissimus, quae a natura acceperat uel ,intus monstrata' consilio, studio, labore perpoliebat ac perficiebat. Quidquid igitur in artis ratione poni debet, id existimandus sectatus esse atque aemulatus. Quid est autem, in quo plus ipse glorietur, quam in eo, quod Aeolium carmen ad Italos deduxerit modos? Itaque equidem sic statuendum esse uideo, cum ad inuentum numerorum computatione nixum argumentum accedat maximum, quae est artis perfectio, Meinekianam rationem esse dignissimam, in qua examinanda et perscrutanda elaboretur. Res quidem ipsa fert, ut ludi magistri, quoniam scholae carceribus circumclusi sunt, deos proprius attingere i. e. in ultimos artium recessus penetrare nequeant arbitriumque rerum, quarum difficilis est quaestio, maioribus permittant, nec tamen insolentiae crimen subibunt, si quidem ipso officio uetiti coram discipulis saepe numero ,non liquet' dicere, suo modulo ac pede se metientes sua quadam ratione suum quoddam iudicium conficiant. Quam ob rem spero, hanc chartam professione muneris excusatam fore.

Stropha quaternorum uersuum est corpus quoddam metricum e singulis membris iunctum eoque consilio factum, ut uno quasi impetu dici cantariue possit cum delectatione audientium. Sed

quoniam stropha non est carmen sine uerbis, uerba, quae poeta fundit, necesse est in enuntiata coeant, denique in ambitum quendam complexumque, qui una cogitandi actione percipi possit. Quae facta est stropha sapphica a recentiore quodam poeta:

Nunc tibi uernat iuuenilis aetas:
Excolas mentem studiis honestis;
Labitur tempus cito, nec redibit
Quae fugit hora.

stropham uix ac ne uix quidem dixerim. Nemo enim quamuis ualidus spiritu illa tam discerpta ac paene lacerata membra metrica uno impetu protulerit, nemo quamuis celer ad cogitandum, una cogitandi actione uim totius sententiae, per singula enuntiata explicatae, animo perceperit. Quod cur ita fieri censeamus, manifestum est. Tres enim sunt sententiae, conexae illae quidem inter se, sed eaedem per se constantes suisque inclusae et enuntiatis et uersibus. Is igitur, qui illum uersuum complexum pronuntiare uolet, si ad extremum uersum primum, si ad extremum secundum peruenerit, necesse erit uocem aliquantisper cohibeat, ut quattuor uersus habiturus sit utcunque conglutinatos, stropham non habiturus sit, necesse erit saepius subsistat in cogitando, ut sententiae partes colligat et comprehendat. Quod cum ita sit, strophae haec uidetur esse uis ac ratio, primum ut quattuor illi uersus, qui corpus quoddam metricum efficiunt, una eademque sententia compleantur, ut, qui uersuum, idem sententiae sit terminus, tum ut membra metrica i. e. uersus apte sint colligati cum membris logicis i. e. enuntiatis, nec inter se dissideant et aduersis frontibus contendant, ut fit in hac compage recentioris cuiusdam poetae:

Cuncta labuntur fugitura. Qualis
Ante se motam pede trudit undam
Vnda: sic pellit noua semper horam
Hora sororem.

Quanquam priorem strophae legem et condicionem, quam modo posuimus, cauendum est, ne ita interpreteris, nusquam ut duas sententias satis diuersas una eademque stropha comprehendi statuas. Scilicet, ut nulla est ars, quae non certa ac definita lege nitatur, sic nulla est ars, quae suis legibus quasi quibusdam adamantinis uinculis usque quaque teneatur. Quae manu fiunt et opera, semper eodem modulo eademque mensura fiant oportet, quae ingenio perficiuntur ac mente, praeter suam legem libertatem i. e. infinitam uariandi licentiam sibi deposcunt ac uindicant. Fieri igitur potest, ut sententia, quae ponitur, paucis uerbis perficiatur ideoque in eadem stropha nouae sententiae initium accedat, aut altera etiam sententia absoluatur, id quod factum est in libri III carminis XXVII hac stropha — sequimur autem in afferendis Horatii uerbis Dillenburgeri editionem quartam —:

Sed uides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae noui sinus et quid albus
Peccet Iapyx.

Saepius etiam fit, ut poetae animus uel quodam diuino spiritu afflatus in aethera euolet, uel grauissime commotus ira aut sollicitudine urgueat alterum pungatque. Inde illa minuta uel adeo minutissima cola, qualia sunt:

Quem uirum aut heroa lyra uel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago —?

Quid breui fortes iaculamur aeuo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederae uis

Multa, qua crines religata fulges;
Ridet argento domus; ara castis
Vincta uerbenis auet immolato
Spargier agno;

Cuncta festinat manus, huc et illuc
Cursitant mistae pueris puellae;
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Nec uero illi legi consequens esse iure dixeris, ut una et singula stropha totum perficiat carmen, quale carmen inter Horatiana certe nullum est, aut carmina longiora aliter non posse strui, nisi si totidem sint strophae, quot sententiae, de qua re statim pluribus dicetur.

Porro, ut ad alteram illam legem redeamus, quanquam dandum est, strophae membra per se constare, illic uersus, hic enuntiata: tamen, si ita essent inter se exaequata, ut uersus singuli singula enuntiata caperent et perficerent, stropha esset nulla, quae ita efficitur, ut sententia dominante uersus seruiat i. e. ut membra logica inaequaliter sint disposita per membra metrica. Lege hanc stropham

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, uiridique certat
Bacca Venafro — —:

membra logica et metrica societatem inisse iniquis condicionibus facile senties. Non attinet plura afferre genera dispositorum per uersus enuntiatorum — nam paene infinita multitudo est —: hoc quidem singula genera percurrentibus luce clarius exstabit, artis uim et naturam hoc ferre, ut uersus et enuntiata non pariter dimensa, sed ut uarie implicata et mista sint.

Sed statim longius progrediendum est ad strophas binas compluresue, arctiore uinculo inter se contentas, neque enim in faciendo carmine poeta facile ita animo temperet, ut ubique, qui strophae, idem sit terminus sententiae. Quod igitur ipsa rei natura hoc imperat, ut saepe binae compluresue strophae uni sententiae exponendae seruiant, quibus id modis fiat quibusque legibus teneatur, diligentius quaerendum est. In breuissimis carminibus binarum stropharum, quae sunt apud Horatium tria, utramque rationem obseruare licet. Libri I carmine XXX Horatius Venerem in Glycerae domum aduocat priore stropha, altera precatur, ut Veneris cohors deam celeriter consequatur; eiusdem libri c. XXXVIII priore stropha puerum suum docet, a pretioso conuiuantium apparatu se abhorrere, adicitque altera, myrteam coronam sibi conuenire. Vtriusque carminis bina sunt corpora solida, sed ita coagmentata, ut nouum maiusque corpus, quod est carmen, inde nascatur. Verum suauiorem fieri totius carminis contextum, si binae strophae, leniter distractae, uno uerborum ambitu decurrant, libri III carmen XXII docebit, quo Dianae appellatae priore stropha pinum consecrat altera. Ternarum stropharum in Horatianis carmina sunt quattuor, libri I c. XX, XXIII, XXVI et libri III c. XXVI, quorum primi et secundi priores binae strophae unum orbem complent, tertia utrobique per se constat, tertii et quarti strophae ternae certo quodam modo inter se colligatae sunt. Longum est, deinceps ordine persequi carmina quaternarum, quinarum et complurium stropharum, nonnulla tamen proponenda et indicanda sunt, e quibus certae quaedam coniecturae ducantur. Parendum autem necessitati cuidam erat ac subsistendum hodie in sapphicis carminibus explorandis, qua re non ueremur, ne disputationis nostrae uis ac ratio minuatur, quod sapphica stropha, et simplicitate et arte pariter commendata, ad consilium nostrum accommodatissima est.

Ac primum quidem transscribimus haec duo carmina sapphica libri II c. II et libri I c. XXII.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Viuet extento Proculeius aeuo
Notus in fratres animi paterni;
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
Seruiat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis et aquosus albo
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit uirtus populumque falsis
Dedocet uti

Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

Integer uitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra,

Siue per Syrtes iter aestuosas
Siue facturus per inhospitalem
Caucasum uel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Namque me silua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis uagor expeditis,
Fugit inermem;

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat leonum
Arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor aestiua recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

In illo carmine sex sunt strophae, et totidem paene sunt quasi riuuli, quorum quisque suum cursum ita tenet, ut omnes in unum flumen confundantur; nam quinta stropha et sexta sententiam unam continent. Huius autem carminis nihil est simile in ceteris sapphicis omnibus, nihil in alcaicis, unum in asclepiadeis, libri IIII c. XII, in quo cum septenario stropharum numero ad amussim exaequatus est sententiarum numerus. Alterum quin admirabili arte confectum sit, nemo facile erit, qui dubitet. Sex eius sunt strophae, quarum binae pari ordine unius sententiae complexione continentur, ut totum carmen fluminis sit instar per tres gradus delabentis. Nec uero, quamuis dulcis sit haec species carminis, huic aequabilitati exactissimae saepius locum dedit poeta Venusinus.

Tres autem sunt res, quas ex his colligi uolumus. Primum enim quod Horatius carmina, licet paucissima, scripsit e tot sententiis uel uerborum comprehensionibus contexta, quot sunt strophae, inde euidentissime apparet, singulas strophas esse corpuscula per se constantia et indiuidua. Tum quod carmen sex strophis compositum attulimus, quarum binae, inter se lenius diiunctae, uni sententiae pertexendae seruiunt, inde non minus euidenter apparet, corpuscula illa solida, quae sunt strophae, ita per se constare, ut, sententia iubente, duae in maius quoddam corpus possint coalescere. Denique cum illa quae posuimus carmina exempla sint summae aequabilitatis in strophis componendis adhibitae, nec tamen nisi perpauca sint carmina ad hanc similitudinem facta: tertio loco euidenter apparet in carminibus e strophis construendis plus ualere uarietatem, quam aequabilitatem.

Atque haec sanctissima uarietatis lex quam late pateat, etiam e longioribus carminibus omnibus perspici potest. Singulari consilio et artificio libri I carmen XII debetur, in quo, indicato in prima stropha consilio suo, aequabilitatem ita regnare uoluit Horatius, ut per quinos ternarum stropharum orbes poema conficeret. Nec uero alterum ei simile finxit. Quo longiora sunt carmina, eo latior quasi excurrendi campus eoque maior stropharum complurium copulandarum opportunitas. Sed illa perlustrantibus omnia paucis locis quaternae aut plures strophae iunctae occurrent. Insigne est libri IIII carmen IIII, in quo poeta tanto impetu fertur, ut a similibus orsus aquilae uigorem et prae-

stantiam tribus primis ostendat, coniunctis, leonis una, quae est quarta, tum post similia absoluta quattuor strophis inter se copulatissimis admirabilem Drusi uirtutem et doctrinam persequatur, deinde, feruore animi iam residente, communis additur sententia duabus comprehensa strophis. Iam ad maiorum Drusi laudes celebrandas conuersus nouem strophis ita utitur, ut quater binae strophae colligentur — nam haec: ‚Merses profundo, pulchrior euenit' cum prioribus arctissime cohaeret —, nona, quae Hannibalis de Poenorum regno desperantis uerba habet, clausulae loco addatur. Denique ultima stropha toti carmini finem imponit, cum rem Romanam cum summa salute sua in Claudiorum tutela repositam esse affirmet. Ab exordii magnificentia quod cum hoc carmine comparetur uix reperias alterum. Libri IIII c. VIIII ita constructum est, ut post bis ternas strophas — nam altera a prima non est separanda — septima adiciatur sententia communis, denique post globum quattuor stropharum pulcherrime desinat in clausulam, quae e duabus strophis constat.

Sed non attinet, alias species carminum strophicorum persequi. Si hic locus esset tabulae, in qua omnium carminum strophicorum formas et quasi cursus depinximus, proponendae: unam eandemque rem ubique poetam secutum esse appareret, ut in infinita uarietate stropharum uel singularum suamque sententiam explentium uel contextarum ubique stropham ad sententiae uim accommodaret. Neque uero bonum poetam fugere poterat, non eandem prorsus sententiae et strophae esse caussam, cum sententia, qualis est, talis esse debeat ipsa cogitandi ratione iubente, stropha autem nihil sit, nisi uas quoddam ad recipiendam sententiam factum, ut sententia sui iuris sit, stropha in manu alterius. Ob hanc rem non mirum erit, si sententia interdum strophae quasi cancellos perrumpat. E sapphicis carminibus notanda sunt haec: libri I c. II u. 45 pr., c. X u. 13 pr., c. XXV u. 1 pr., libri II c. VIII u. 1 pr., c. XVI u. 33 pr., libri III c. XIIII u. 5 pr., c. XXVII u. 61 pr., libri IIII c. XI u. 25 pr.

Serus in caelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neue te nostris uitiis iniquum
        Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos —.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Iactibus crebris iuuenes proterui
Nec tibi somnos adimunt, amatque
        Ianua limen
Quae prius multum facilis mouebat
Cardines. Audis minus et minus iam —.

Vlla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam,
Dente si nigro fieres uel uno
        Turpior ungui,
Crederem. Sed tu simul obligasti —.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
        Iuppiter, idem
Summouet. Non si male nunc, et olim —.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt uaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
        Murice tinctae
Vestiunt lanae. Mihi parua rura et —.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata diuis
Et soror clari ducis et decorae
        Supplice uitta
Virginum matres iuuenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae —.

Siue te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age te procellae
Crede ueloci, nisi herile mauis
Carpere pensum
Regius sanguis dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti —.

Terret ambustus Phaethon auaras
Spes, et exemplum graue praebet ales
Pegasus terrenum equitem grauatus
Bellerophontem,
Semper ut te digna sequare et ultra
Quam licet sperare nefas putando
Disparem uites. Age iam meorum —.

Perruptos igitur strophae cancellos apparet. Sed diligentius uidendum, quo modo sint perrupti. Tribus locis uis, quam prioris strophae sententia facit, duas uel tres syllabas primi uersus occupat, quarto loco extenditur ad caesuram huius uersus, quinto et sexto loco apprehendit adeo praeter primum uersum tres syllabas alterius uersus, septimo extenditur ad caesuram huius uersus, octauo denique loco, primo et altero uersu expugnato, ad caesuram tertii uersus porrigitur. Imperiosam esse sententiam quis est, quin confiteatur? Contra ea intellegendum est, non ita esse imperiosam, ut ui sua abutatur. Quid enim? Si non partem primi uersus arriperet, sed totum primum, alteram stropham integritate sua priuaret, si non partem alterius, sed totum, diffinderet stropham, si non partem tertii, sed totum tertium, stropham alteram deuoraret. Tam tyrannice nescio an prioris strophae sententia nusquam egerit, quanquam silentio non premam, duos esse uersus, in quibus id sceleris commisisse uideatur, libri III c. XI u. 29 et libri IIII c. VI u. 30, uerum utroque loco iniuria grauius interpungitur. Sed ut decem numerentur loci, in quibus sententia prioris strophae ‚proximos agri terminos' reuellerit, quanta haec paucitas! Strophae sapphicae apud Horatium sunt CLXXXX, binarum igitur stropharum complexus LXXXXV, in quibus prioris strophae sententia, si semel alteram stropham sua integritate priuasset, semel adeo diffidisset, quid hoc ad rem?

Iam eo progressa est disputatio nostra, ut paucis liceat constituere summas leges quas Horatius in strophis sapphicis pangendis secutus est. Sunt autem hae:

Primum stropha est corpus metricum quattuor absolutum uersibus eoque consilio factum, ut corpus logicum, i. e. sententiam integram uno uel compluribus membris enuntiatam, capiat et quasi ambiat.

Altero loco cum strophae elementa, i. e. uersus et uerba, intimo uinculo contineantur, tamen nec singula enuntiata singulis uersibus terminantur, nec duae aut plures sententiae per se constantes una stropha implicantur.

Tametsi fit saepius — id enim tertium est —, ut sententia, quod una stropha impar est toti sententiae capiendae, in proximam stropham inuadat, plerumque ita fit, ut sententia proximam stropham occupet totam uel tertiam etiam quartamue amplectatur, raro ita, ut partem primi uersus proximae strophae occupet aut cum primo uersu partem secundi aut cum primo et secundo partem adeo tertii uersus, nusquam fit, ut primum uersum totum uel primum et secundum totos uel primum, secundum tertiumque totos suae dicioni subiungat.

Sequitur, ut ad hanc, quam statuimus, strophae sapphicae normam referamus exigamusque illa carmina, quae Aug. Meinekio praeeunte in formam strophae e quattuor uersibus constantis redacta sunt. Quorum carminum duplex est genus, alterum ita constructum, ut nulla uarietate adhibita unus idemque uersus semper repetatur, alterum binos uersus eodem semper ordine referens. Paucis ut munere defungar, de priore genere appono carmen amabile, libri III ultimum:

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis —

Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
Vitabit Libitinam; usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium —

Scandet cum tacita uirgine pontifex.
Dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnauit populorum, ex humili potens —

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge uolens, Melpomene, comam.

Quid, quaeso, hic artis? Prima sententia per quattuor uersus primos exposita non terminatur quarto, sed ita extenditur in quintum, ut eum obtineat totum, quo fit, ut quintus et sextus magna intercapedine dirimantur. Iam altera sententia a uersu sexto incipit nec octauo concluditur, uerum sibi arrogat nonum totum. Tertia sententia inchoata uersu decimo non continetur tertia stropha, sed diaeresim uersus secundi quartae strophae attingit. Quid igitur hic stropharum? Nihil requietis inter primam et secundam, nihil inter secundam et tertiam, nihil inter tertiam et quartam. Quod in omnibus carminibus sapphicis factum est nusquam, ut prioris strophae sententia propagata ad proximam primum eius uersum expleret totum, id in hoc uno poematio sedecim uersuum bis uides factum esse. Quod in carminibus sapphicis singulis iisque rarissimis exemplis sibi indulsit Horatius, ut prioris strophae sententiam ad medium uersum alterum produceret, id quoque in hoc eodem carmine commisit. Adde quod in media stropha ultima noua sententia instituitur, cui breuissimum spatium relinquitur. Quid? ullone modo ferendum esse censebis, ut in breuissimum carmen sedecim uersuum quattuor monstra, diuersa illa quidem, sed pariter cum strophae ui ac natura pugnantia, congesta sint et cumulata? Mea quidem sententia qui hoc carmen amabile in quattuor diffindunt strophas, ex amabili faciunt formidabile. Etiam grauius stomachus mouetur, cum animo recordor

primi carminis libri primi, quod etsi poeticis laudibus non ita multum floret, melli mihi semper fuit quasi primo quodam amore commendatum. Eius strophae Meinekianae secunda, tertia, quarta et quinta sunt hae:

Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis uerritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis condicionibus

Numquam demoueas, ut trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi

Laudat rura sui; mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.
Est qui nec ueteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die

Spernit, nunc uiridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuuant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus

Detestata. Manet sub Ioue frigido —.

O praeclaram carminis strophici speciem! Quattuor sententiae per quattuor strophas ita explicatae sunt, ut ter in mediam stropham clausula cadat, semel partem primi uersus strophae proximae obtineat. Aequabilitati consuluisse poetam fatendum est, at eundem uarietati bellum indixisse. Cetera, quae strophicae constructioni non minus aduersantur, omittimus. Nec libri IIII c. VIII respicimus, in quo, ut Meinekius illud, quicquid est, stropharum fabricaretur, tres uersus eiecit. De carminibus monostrophis, quae ex asclepiadeis maioribus constant, uix est, quod addamus, cum omnis horum uersuum natura a compositione strophica quam maxime abhorrere uideatur. Paucis animos legentium ad libri I c. XVIII, quod sedecim uersus habet, aduertimus. Quorum primi sex una sententia complentur, secunda sententia a septimo ad undecimum medium pertinet, tertia altera parte uersus undecimi, duodecimo et priore parte tertii decimi perficitur; altera parte huius uersus et tribus postremis ultima sententia continetur.

Restat, ut, quales sint strophae e distrophis carminibus conglutinatae, breui exponamus. Ordiendum a priore genere, quod proprie epodicum appellatum est, in quo post longiorem uersum alter infertur breuior. Neque enim cuiquam dubium sit, quin uis et natura huius distichi haec sit, ut per alterum uersum priori quasi quaedam clausula subiciatur ob eamque caussam cogitata quoque

quae singulis distichis contineantur, ad terminum suum deducantur. Vide hoc initium libri IIII carminis VII:

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;
Mutat terra uices et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.

Hoc utrumque apparere puto, et cogitatorum ordines cum distichorum ordinibus congruere, et totam sententiam, inceptam prioribus duobus distichis, media demum stropha altera, quam Meinekius finxit, ad finem adduci. In altero autem genere, quod non proprium nomen habet distichorum, eadem uidetur esse necessitas, licet ex alio fonte repetenda. Etenim prior uersus, qui est in praeludio, non multum spiritus postulat, at tenuis modulaminis dux est atque princeps, quem cum alter longior subsequatur, plus spiritus consumitur, quam priore uersu monstratum erat, eoque fit, ut in altero uersu extremo uox residat. Huius quoque generis gustandae sunt paucae strophae Meinekianae e libri II carminine XVIII:

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas

Africa, neque Attali
Ignotus heres regiam occupaui,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.

At fides et ingeni
Benigna uena est, pauperemque diues
Me petit: nihil supra
Deos lacesso nec potentem amicum

Largiora flagito
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die
Nouaeque pergunt interire lunae:

Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus et sepulcri
Immemor struis domos
Marisque Baiis obstrepentis urges

Summouere littora
Parum locuples continente ripa.

Primum cogitatorum orbem e quattuor partibus secundum distichorum ordinem dimensis constantem uides] per primam alteramque stropham extendi, alterum iam in media stropha quarta insistere. tertium altera parte eiusdem strophae contineri, quartum rursus ad mediam stropham sextam proferri.

Sed quia tempori et chartae parcendum est nec plura utriusque generis carmina singillatim persequi licet, testandum saltem est, illa, quae posuimus exempli caussa, non cupide quaesita esse, sed de medio sumpta.

Quid igitur est, quod Meinekiana ratione examinata et ponderata nos repperisse dicamus? Nempe quod Meinekius conatus est Horatium forma carminum perfectiore donare, multa laude dignum censemus, uerum quod haec forma tantum abest ut elegans sit artis species, ut nihil nisi falsa sit ac fraudulenta artis imago, quae stropham imitatur, cum iis rebus, quae strophae uim ac naturam efficiunt, prorsus destituta sit: mea quidem sententia iniuriam summam fecit poetae et ei quidem poetae, qui de se suique similibus profitetur hoc

si modo ego et uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digito callemus et aure. —

